

naturalis idealis, quatenus per certas quasdam regulas in modum
normæ actiones nostras dirigit. Hinc eum ab officio Normalem di-
ci intelligis. Status autem corruptus, quò magis ei conformis est,
eò propius ad statum rectum accedit. Unde fuit nova subdivisio
status corrupti in minus & magis talem.

CAPUT II. DE DISCRIMINE QVOAD NORMAM.

§. 1.

AD normam utriusque hujus justii agnoscendam, repetenda est
distinctio justii Ethicè in perfectè & imperfectè tale; quam indi-
cavimus §. 19. Cap. 1.

§. 2. Norma justii Ethicè, perfectè talis, est jus rigidum, actum
in omnibus partibus ac gradibus consummatum sibi que conformem
hoc est, honestissimum, requirens. In imperfectè tali, ideò quia im-
perfectè se habet, remittitur aliquid ab hoc rigore.

§. 3. Norma justii Politicè, est jus gentium laxiùs sic dictum, aut
lex aliqua humana s. permissio, conferens jus quoddam personæ ad
aliquid agendum valide aut impune, etsi non honestè.

§. 4. Ad hæc intelligenda juvat adducere significationes juris
ex Grot. lib. I. de Jure B. & P. Cap. 1.

§. 5. Nimirum jus 1) est attributum actionis, prout valet idem
quod justum aut non injustum, num. III. dividitur que in rectorium &
æqvatorium, *ibid.* terminis notis.

§. 6. Jus 2) est qualitas personæ ad aliquid justè habendum vel
agendum. Qualitas autem moralis est vel perfecta, quæ facultas di-
citur: vel minus perfecta, nempe aptitudo: quibus respondent in na-
turalibus, illi quidem actus, huic autem potentia. *Vid. ibid. num. IV.
V. VI. VII. & VIII.*

§. 7. Jus 3) est Synonymum legis, largissimè tam pro naturali,
quam positivâ sumtæ; est que regula actuum moralium (non svadens,
aut permittens aliquid, sed) obligans ad id, quod (justitiâ universali
aut particulari) rectum est. *Num. IX.*

§. 8. Et in hac tertia significatione Grotius cum Aristotele, jus
B divi-